

*turaliter, illud non opponitur principio extrinseco, sed amicè cum eodem conspirat, imò necessariò illud ipsum præexigit, hoc verò istam connexionem sollicitare quis demonstrabit? Patefactio huc nihil confert, num enim illa externa? Probandum hoc, non supponendum; nullane interna? nihilne cordibus inscriptum? manifestum est in nobis γνωστὸν τῷ Θεῷ, quia DEUS in nobis istud patefecit, aliud rei initium, aliud augmentum, illud versiculus decimus octavus, hoc decimus nonus respicit; Non, ut coquus jura confundit, distincta in unum chaos miscenda.*

## XXII.

Transeamus ad *vindicias Minoris*: negatur γνωστὸν τῷ Θεῷ omnibus inesse, quia aliud *Mores Americanorum, Lex Sardonum, Lydorum Consuetudo* suadeat; At si hæc evertunt notitias *insitas*, expungent quoq̄, *acquisitas*; an ne quosdam solùm arguit Paulus? annon agit contra Græcos & barbaros? σοφῶς καὶ ἀνοήτως ψ. 14? annon contra omnes homines, quos coram divino judicio convincere & ἀναπολογήτως reddere intendit? nec sequitur, *Morale* aliquid intercurrit in verbis Paulinis; ergò τὸ latēs sub captivatione nō est *Physicum* à primordiis vitæ impressum: falsam a. esse Interpretationē verborum Pauli subjunctam præcedentia docere possunt: Negatur 2. γνωστὸν τῷ Θεῷ cum notitiâ impressâ coincidere, quia versiculus subsequens rationem modumque illius notitiæ exponat, at male opponuntur subordinata, ponit Paulus principium facilitatis internum, externum in subsequente superaddit. Quid autem veritas ἐν φυλακῇ? quid γνωστὸν τῷ Θεῷ sub Ἰπισκισμῷ quam notitia principiorum de DEI existentia & quibusdam attributis? Insitam autem illam esse hæcenus luculenter probavimus; Negatur 3. Apostolum dicere notitias *insitas* esse φανεράς, non dicit quoad explicitam subjecti mentionem concedo, dicit quoad prædicati cum illo τῷ γνωστῷ compositionem, nec concludimus, quodcunq̄ γνωστὸν est φανερόν in nobis, illud est insitum, sed notitiæ insitæ sunt φανεραὶ: Ergò demonstramus istas notitias esse *insitas* in Conclusionē, non supponimus in Minore, sed hoc volumus, atqui γνωστὸν τῷ Θεῷ principia illa communia, notitia illa esse aliquem DEVM est manifesta in gentibus, imò in omnibus omniū temporum, ordinum, ætatis, hominibus: Ergò; hoc evertendum est: hîc docendum, hoc φανερόν divinum, hoc φανερόν universale, non opponi ἀφανισμῷ, industriæ discursivæ, extrinseco irritanti, imprimenti, objectivè concurrenti principio.